

institutione, quomodo sit ei colendus Deus, sed omnes legem Dei memoriter tenuissent, per multitudinem Synagogarum, quae struetae fuissent, ubi lex ser in hebdomade docta fuisset. Hoc commentum GROTII sibi metipsum contradicit. Accedit & hoc, quod tunc temporis, non est erectum nouum foedus cum domo Israelis, & cum domo Iudae, quod tamen expressis verbis praedicatur. Nec in Iudaeos tempore Messiae viuentes id quadrat, quod tamen per verba prophetae INDI CLERICVS censet, sic scribendo in Com. in Ier. p. 446. *Nemo indigebit institutione alius, nec opus erit, ut quisquam alios admoneat, esse sui officii, cognitionem Dei sibi studiose comparare; nam omnes eum satis noscent, nec tantum grandiores natu, sed etiam iuniores.* Sed audiamus etiam B. GLASIVM qui ingeniosa obseruatione, quod non elliptice pro non solum accipiendum sit, locum sic explicat: *Non docebunt amplius scilicet SOLVM, sed (יִדְּ) quia pro sed) quotquot erunt, cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum eorum.* Sed hic iterum potest quaeri: Si sermo est de cognitione Messiae, quod condonaturus sit peccatis Iudaeorum, cur ille non ab omnibus Iudaeis a minimo ad maximum fuit agnitus?

Longe planius et facilius nostri loci explicatio tractari poterit, si non ex interpretum suffragiis, sed ex fontium consilio veram veteris et noui testamenti conuenientiam et differentiam expendemus. Inspectio fontium nos ea docebit, quae in nullo inueniuntur commentario; nostri autem erit officii, ut in explicando hoc dicto, nec sapientia nimia, nec leuitate temeraria peccemus, sed veritatem innocenter quaeramus, inuentamque ostendamus. Tantum abest, ut necessitatem, docendi cognitionem Domini in nouo testamento, hoc dictum nostrum neget, ut potius affirmet, hoc vitium Iudaeis fore exitio, quod nemo alium, nec frater fratrem de doctrina noui testamenti instruere velit, quare Messias nec posset Iudaeorum iniquitatem condonare, aut peccatorum eorum obliuisci. Vbi enim cognitio Domini non docetur, ibi foedus Domini negligitur, ubi vero cognitio Domini docetur, nec voluntarie recipitur, ibi foedus repudiatur. De offerendo nouo Messiae foedere, non vero cogendo, sed libere recipiendo, quod Iudaei repudiaturi essent, sequens textus agit, accuratissime sic vertendus.

Ier. XXXI. v. 31. *Ecce tempora ventura, dicit Dominus, me pacturo cum domo Israelis, et cum domo Iuda foedus nouum. v. 32. Non erit sicut foedus, quod pepigi, cum patribus eorum, tempore quo ap-*